

D E D I C A . U R I A .

vanis quibusdam Theologis, Philosophis & Jctis, detorta est. Orthodoxis vero pro lege Dei pugnantibus, ejusque ἀνεπίβητων defendentibus, à contentione verborum, ad reales persecutiones & oppressiones Orthodoxorum ventum est: accensis ira & odio vanis Politicis, & frigidam suffundentibus vanis Theologis. Apparuit id quoque anno hujus seculi sexagesimo sexto ac deinceps, cum ego adhuc apud vos degerem. Edidit tunc in lucem tenebrio quidam *Exercitationem Paradoxam, quâ demonstrare conatur, Philosophiam, & quidem Cartesianam, esse interpretem* (fo. 36. 16.) *Scripturæ, id est, principem normam interpretandi Scripturam*, Hunc noxium & periculosum errorem cum & D. Arnoldus Franckeræ, & D. Vogelsangius Sylvæ ducis & tu, Clarissime ESSENI, Ultrajecti, cum suis fûdamētis, publicis disputationibus refutasses; voluit etiam Ludovicus Wolzogius, ex hoc mustaceo, lauream quærere, & primum orationes quasdam in auditorio Academico, contra Exercitorem Paradoxum habet, ex iisque duos libros contra eundem confarcinat, & exeunte anno 1667. quæsito prætextu aliquo, in lucem edit, inscriptos Magistratui Urbis vestræ, in quo suos habebat fautores. In quibus sic causam Orthodoxorum, contra paradoxum & heterodoxum Exercitorem, agit, ut eam, quemadmodû Reverendus frater noster, D. Joh. Broun dicit & ostendit, adversariis prodiderit, & conculcatâ Orthodoxa doctrinâ, varias erroneas, periculosas & impias assertions immiscuerit, & pro errore principali Exercitatoris Paradoxi, quod Philosophia sit principalis norma interpretandi Scripturam, alium absurdum errorem, Ecclesiis Scholisque Reformatis conatur obtrudere, quod Ufus loquendi sit principalis norma interpretandi Scripturam. Meritò D. Johannes Labadius Pastor, & Ecclesia ipsius Gallo-Belgica Medioburgi, cui antea Wolzogius præfuerat, varias istorum librorum assertions erroris & impietatis arguit. Immeritò Synodus Gallo-Belgica Naerdæ anno 1668. totum librum orthodoxum declaravit. Quæ causa cum anno 1669. Dordraci in Synodo Gallo-Belgica resumenda esset & terminanda, vos, Clarissime D. VOETI & ESSENI, sententiam rogati, ad tuendam orthodoxiâ, judicium vestrum scriptum peccentibus communicastis. Quod ipsum etiam tunc à Magistratu Urbis male acceptum & impolsterum fieri veritum est, uti Wolzogius etiam hoc Magistratus decretum sibi publicandum duxit. Conspirabant vobiscum fratres Harderviceni, Sylvæducenses, Leovardienses, & Daventrienses, Belgæ, & septem Scoti. Ego quoque tum rogatus meum de hoc libro communicare: